

~~Pisa. da J. S. 25.~~

~~so s s~~

~~12~~

18418

**DOMINICI CAVALLARII
INSTITUTIONES
JURIS CANONICI.**

DOMINICI CAVALLARII

IN REGIA NEAPOLITANA ACADEMIA

PRIMARI PROFESSORIS

**INSTITUTIONES
JURIS CANONICI**

QUIBUS VETUS ET NOVA ECCLESIAE DISCIPLINA

ENARRATUR.

TOMUS PRIMUS.



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI EX TYPOGRAPHIA REGIA.

MDCCXCIX.

Se hallará en la Librería de Don Felipe Alverá, Carrera de San Gerónimo, frente á la calle del Baño.

**AD CUPIDAM
SACRORUM CANONUM JUVENTUTEM**
AUCTOR. (*)

Institutiones canonicae, quas stilo fusiōe & multis quæstionibus insertis in publicum emisi, longiores visæ sunt, quam ut secundum præsentes mores in usum scholarum possent adhiberi. Quapropter consilium iniīi contracta methodo elementa ecclesiasticarum regularum tradere, quibus adolescentes juris candidati, qui auditorum meum frēquentant, uterentur. Nec enim videtur probandus ille, qui jamdiu obtinet, artium & scientiarum elementa, scripto excipienda, tironibus tradere. Quæ scripto exhibentur, solent esse contractiora, nec multum ex polita coguntur enim professores ad temporis rationem se accommodare: ut mittam, non omnes adolescentes recte scribere, quæ ab ore dictantis excipiunt.

Has autem Institutiones ita adornare vīsum est, ut veterem & novam Ecclesiæ disciplinam bre-
(*) Præfationem istam præmisit auctor; quem è vivis reprē-
tum dolet litteraria res publica quartæ editioni, quam anno pro-
xime elapso 1781. adornavit.

AD INSTITUTIONES JURIS CANONICI *PROLEGOMENA.*

CAPUT I.

De natura & origine juris canonici.

- §. I. Ecclesia proprium regimen habet.
- II. Ejus potestas versatur circa tria.
- III. Canon quid?
- IV. Regule fidei & politiae distincte.
- V. Quid jus canonicum?
- VI. Primi Ecclesiae canones.
- VII. Canones Apostolici.
- VIII. Constitutiones Apostolicae.

§. I. Ecclesia à Jesu Christo ad hominum spiritualem salutem collecta, certum regimen ad sui conservationem requirit: est enim societas, quæ æternum stare debet: & societates sine regimine quæ consistent? Hinc Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem, in Ecclesia regimen instituit: dedit nempe Apostolis eorumque successoribus ejus administrandæ & regendæ potestatem. *Ioan. XX. v. 21. Actor. XX. v. 28.*

§. II. Hæc autem Ecclesiae regendæ potestas Apostolis eorumque successoribus demandata, circa tria versatur, *doctrinam*, *mores*, *disciplinam*. *Doctrina* continet dogmata fidei: *mores* sunt actiones christianorum, quæ ad sanctissimam doctrinam compendi debent: & *disciplina* complectitur ritus liturgicos & exteriorem Ecclesiae administrandæ formam. In hæc tria non eodem modo se exerit Ecclesiae potestas: doctrinam enim & morum regulas custodit, & in dubiis explicat: disciplinam vero pro locorum & temporum adjunctis disponit. Sub nomine *politicæ* Chrysostomus *de Sacerd.* lib. IV. cap. 5. intelligit mores & disciplinam: quod nos brevitatis causa subinde faciemus.